Die digitale Landesbibliothek Oberösterreich

oö landes bibliothek

Terms and Conditions

The Library provides access to digitized documents strictly for noncommercial educational, research and private purposes and makes no warranty with regard to their use for other purposes. Some of our collections are protected by copyright. Publication and/or broadcast in any form (including electronic) requires prior written permission from the Library.

Each copy of any part of this document must contain there Terms and Conditions. With the usage of the library's online system to access or download a digitized document you accept there Terms and Conditions.

Reproductions of material on the web site may not be made for or donated to other repositories, nor may be further reproduced without written permission from the Library

For reproduction requests and permissions, please contact us. If citing materials, please give proper attribution of the source.

Imprint:
Director: Mag. Renate Plöchl
Deputy director: Mag. Julian Sagmeister
Owner of medium: Oberösterreichische Landesbibliothek
Publisher: Oberösterreichische Landesbibliothek, 4021 Linz, Schillerplatz 2

Contact:
Email: landesbibliothek(at)ooe.gv.at
Telephone: +43(732) 7720-53100

id est aquam presentia sua. et excitauit ad passionem suam. Sed latens turbauit. Si enim cognouissent. numquam dominum glorie cruci fixissent. Subito enim uidebatur aqua turbata. et a quo turbabatur non uidebatur. Descendere ergo in aquam turbatam est humiliter credere in domini passionem. Ibi sanabatur unus. significans esse unitatem. postea quisquis ueniret non sanabatur. quia quisquis preter unitatem fuit. sanari non potest. Ve illis qui oderunt unitatem. et partes sibi faciunt in hominibus. Habebat autem ·xxx·viii· annos in infirmitate qui sanatus est. hic enim numerus ad languorem magis pertinet quam ad sanitatem. Quadragenarius enim numerus. sacratus nobis in quadam perfectione commendatur. quia lex in ·x· preceptis data est. et predicanda erat per totum mundum. qui ·iiii· partibus commendatur. Denarius autem per quatuor multiplicatus. ad quadragenarium peruenit. Vel quia per euangelium quod ·iiii· libros habet. impletur lex. Si ergo quadragenarius numerus habet perfectionem legis. et lex non impletur nisi gemino precepto caritatis: quid miraris quia languebat qui ·xl· minus duos habebat. Perfectus illi erat homo ad sanitatem. Sed ille homo. qui et deus est. Et quia illum iacentem duobus minus inuenit. quia duo quedam iubendo quod minus erat impleuit. In duobus enim domini iussis. duo precepta significata sunt caritatis. Dei dilectio prior est ordine precipiendi. et proximi autem dilectio prior est ordine faciendi. Fiat ergo. Tolle grabatum tuum et cetera quasi diceret. Cum esses languidus. portabat te proximus tuus. Sanus factus es. porta proximum tuum. Hic et ambula. Sed quo iter agis nisi ad dominum deum tuum. Beda. Quid enim est dicere. Surge et ambula. nisi a torpore et ignauia in quibus prius iacebas. et erigere. et in bonis operibus proficere stude. tolle grabatum tuum. id est proximum tuum a quo portaris. et ipse patienter tolera. Aug.

Porta ergo eum cum quo ambulas. ut ad eum peruenias cum quo manere desideras. Hic autem non dum ihesum nouerat. quia et nos credimus in eum. quem non dum uidemus. Et ut non uideatur. declinat a turba. Quadam solitudine intentionis uidetur deus. turba strepitum habet. Visio ista secretum desiderat. Crisostomus.

Postea inuenit eum ihesus in templo et dixit illi. Ecce sanus factus es. iam amplius noli peccare. ne deterius tibi aliquid contingat. Abiit ille homo et nunciauit iudeis quia ihesus esset

Curatus homo non secessit ad nundinas. uel uoluptati se aut negligentie dedit se ipsum. Sed in templo conuersabatur. quod maxime religionis est signum. Vnde dicitur. Postea inuenit eum ihesus in templo. Aug. Dominus quidem ihesus et in turba eum uidebat. et in templo. Hic autem languidus ihesum in turba non cognoscit. in templo cognoscit. in loco sacrato. Alcuinus. Quia si gratiam conditoris nouimus. et ad eius uisionem uenire. fugienda est turba cogitationum et affectuum prauorum. declinanda sunt prauorum conuenticula. fugiendum est ad templum. ut nos ipsos templum dei studeamus facere. quos deus inuisere. et in quibus manere dignetur. Sequitur. Et dixit illi. Ecce sanus factus es. iam noli amplius peccare. ne deterius tibi aliquid contingat. Crisostomus. Vbi prius discimus